



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

123. An Episcopus, quando cognoscit, si reus gaudeat nec ne Immunitate
Ecclesiae, debeat illum citare? Et an Episcopus non possit tradere Curiae
saeculari reum extractum ab Ecclesia ex praesumptionibus, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

RESOL. CXX.

An ad iudicem laicum spectet cognitio, si captus a satellitibus affirmet se fuisse captum in loco sacro, illis autem negantibus? Et an, si reus captus a iudice laico dicit se esse clericum huius rei cognitio spectet ad iudicem laicum? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 32.

Sup. hoc in Ref. praeterita cursum sine.

§. 1. Non spectare ad iudicem laicum, sed ad Ecclesiasticum, docet Peregrinus tract. de immunit. Eccles. cap. 13. num. 18. & Marius Italia de immunit. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 100. & 101. quia ad iudicem ecclesiasticum spectat cognoscere principales causas immunitatis; ergo & alia ad eandem concernentia cognoscere debet, cum accessorium naturam principalis sequatur, cap. accessorium, de reg. iur. in 6. Deinde in cap. si index, de sent. excommunic. in 6. deciditur quod si reus captus a iudice laico dicit se esse clericum, huius rei cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum spectare, ut nos late sapius supra probauimus, quia de re Ecclesiastica, & spirituali tractatur, ergo, &c.

Sup. & sapius in Resolutionibus quae hic sunt infra in tr. 2. Ref. 127. & 128.

2. Nec valet dicere, quod malefactor est in possessione iudicis laici, & melior est conditio possidentis, nam respondeo, quod in casu dicti cap. si index, etiam reus erat in manibus iustitiae laicalis, & tamen deciditur eius cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum spectare, uti omnino in casu nostro etiam determinandum est.

3. Notandum est tamen hic obiter quod Decianus in tr. crim. tom. 2. lib. 6. cap. 29. num. 10 ex multis DD. asserit, credendum non esse Birtuaris in hoc casu; cum agatur de graui prauidicio tertij; tamen prudens iudex Ecclesiasticus in tali casu considerabit circumstantias, quas notat Peregrinus ubi sup. num. 16.

RESOL. CXXI.

An iudex secularis teneatur restituere reum Ecclesiae, licet fuerit extractus cum licentia Episcopi, si constet illum non commississe delictum in Bulla Greg. XIV. exceptum? Et an detur appellatio a sententia Episcopi declarantis reum non gaudere Immunitate? Et quid si sit lata in fauorem rei? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 97.

Sup. hoc cursum, & cum eodem Marino tantum, sup. in §. vlt. Ref. 83.

§. 1. Hic casus potest frequenter accidere, & apud paucos auctores agitatae inuenies, cui ego affirmatiue prorsus respondeo; quia tali delinquenti verè debebatur immunitas, & per errorem, qui in huiusmodi imperfecta cognitione facile interuenire potest, ab ea exclusus, traditus est curiae seculari. Constat autem postea iniustam à parte rei fuisse illam Episcopi sententiam, consequenter constat debitam esse illi immunitatem, ergo dum res integra est, & immunitas illi seruari potest, seruanda est; & ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Antonius de Marinis resol. quotid. som. 1. cap. 175. num. 2. & seq. ubi multas alias adducit rationes pro hac firmanda sententia, ad illum, & non pigebit. Vnde hanc sententiam aliquibus ministris Regis ego consului, quibus etiam adduxi Regentem Constantium in supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregor. XIV. ubi n. 70. sic ait. Et idem dicendum quando extractio fieret cum licentia Episcopi astantis reu ob qualitatem delicti extrahendum esse; nã si postea apparuerit, qualitatem illam non esse veram, reponendus erit delinquens ad Ecclesiam. Ita Reges Constantius,

2. An verò detur appellatio à sententia Episcopi declarantis reum non gaudere, negat Guazzinus de modo defen. reos, tom. 1. defen. 1. cap. 31. num. 11. & Bonacina de leg. disp. 3. quasi. 7. punct. 7. n. 11. Secus si sit lata sententia in fauorem reus etiam in tali casu appellationem non competere, tradit Peregrinus de immunit. cap. 16. num. 33. Verum cum Bonacina sentit Farinacius in append. cap. 27. num. 372.

Sup. conten-tis in hoc §. supra in Ref. 118. §. Quarto, & seq. & pro-pare rei infra in §. Vlt. Ref. seq.

RESOL. CXXII.

An Episcopo debeat certo constare de delicto in Bulla exceptuato, antequam tradat reum Curiae seculari? Et notatur, quod si sententia Episcopi lata sit in fauorem rei, quòd gaudet Immunitate, iudex secularis non possit de tali sententia appellare, Ex part. 3. tract. 1. Ref. 38.

§. 1. Hic casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent ministri laicalis iurisdictionis, asserunt enim sufficere tantum coniecturas, & praesumptiones in tali casu; quia ad probandum id, quod in iudicio incidenter, & secundario, & per modum causae deducitur, quæuis probatio etiam leuis, & praesumptiua dicitur sufficiens. Et ita hanc sententiam in eorum fauorem docet ex nostris P. Peregrinus tract. de immunit. Eccl. cap. 3. num. 3. & seq.

Sup. hoc in Ref. seq. §. vlt. & in Ref. 1. post seq. §. Notandum est, & in Ref. 2. post seq. §. circa sequenda, quoad hoc in tom. P. Peregrinus tract. de immunit. Eccl. cap. 3. num. 3. & seq. Ref. 72. lege doctrinam. At his. & supra in Ref. 118. §. Sed an

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Bonacina in de legib. disp. 3. q. 7. n. 3. & 4. Farinac. in append. de immunit. Eccles. cap. 22. n. 373. & 374. Ambrosino tract. de immunit. Eccles. 11. n. 4. & Mario Italia eodem tract. lib. 1. c. 6. §. 1. n. 80. & seq. Primò, quia Pontifex in Bulla asserit, ut verè constet de delicto, sed quando delictum cognoscitur per coniecturas, & praesumptiones, non dicitur verè cognosci, Ergo. Secundò quando lex requirit probationem, intelligenda est de vera, & non praesumptiua, nam si hoc vltimum requireret; illud exprimeret, ut patet in cap. pro humanis, de homicidio, in 6. & in l. non omnes, §. a barbaris, ff. de re militari. Ceteras rationes vide apud DD. citatos, & ita hanc sententiam ego consului his diebus in facti contingentia; nec aliter sentiendum est.

3. Notandum est etiam hic obiter, quod si sententia Episcopi lata sit in fauorem rei, quòd gaudet immunitate, non potest iudex secularis de tali sententia appellare; & ita sentit Peregrinus de immunit. c. 16. n. 33. sed Farinacius etiam de immunit. c. 22. n. 372. cum Gambacurta de immunit. lib. 6. cap. 17. num. 3. contrarium docet.

Sup. hoc in §. vlt. Ref. praeterita, ad mediū vers. Secus, & supra in Ref. 118. §. Quarto, & seq.

RESOL. CXXIII.

An Episcopus, quando cognoscit, utrum reus gaudeat necne Immunitate Ecclesiae, debeat illum citare? Et an Episcopus non possit tradere Curiae seculari reum extractum ab Ecclesia ex praesumptionibus, & coniecturis probabilibus, sed requiratur concludens probatio de delicto in Bulla exceptuato? Nec in tali casu Episcopus debeat stare processui facto à iudice laico? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 112.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immunitate Eccles. n. 96. ubi testatur de praxi curiae Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum in controuersis forensibus.

Sup. hoc supra in Ref. 118. §. Quarto tertio, & infra in Ref. 125. §. Dixi autem, & §. Nec videtur.

2. Sed affirmatiuam sententiam tuetur noster Peregrinus tract. de immunit. Eccles. cap. 3. à num. 9. usque

usque ad num. 18. & inordicus sustinet hanc sententiam nouissimè Castrus Palau tom. 2. disp. unica; de immunitat. punct. 13. num. 11. & 12. ubi respondet ad argumenta contraria, & ait praxim in contrarium, si alicubi extaret, abrogandam esse vt pote iuri naturali contrariam.

3. Verùm quidquid sit de hoc, certum est, quod si reus sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui defensione, omnino audiendus est; & in hoc casu, quousque audiatur se potest opponere sententiæ Episcopi declarantis immunitatem illi non competere; agit enim de graui eius præiudicio, & de iure naturæ competit ei defensio. Ita Castrus & Peregrinus locis citatis.

4. Notandum est etiam hæc obiter Episcopum non posse tradere curiæ seculari reum extractum ab Ecclesia ex præsumptionibus & coniecturis probabilibus, sed concludentem probationem requiri de delicto in Bulla excepto. Ita DD. quos ego ipse citauit in 3. part. tract. 1. resolut. 38. quibus nunc addo Castrum Palau ubi supra num. 8. qui etiam n. 9. docet quod in tali casu Episcopus non tenetur stare processui factò à iudice laico.

RESOL. CXXIV.

An Episcopus stare debeat processui factò à iudice laico, si reus remittendus sit, vel ne?

Et an non sufficiant coniectura, indicia, & præsumptiones ad declarandum, vt reus commiserit delictum in Bulla exceptuatum, sed opus est Episcopo, vt certo constet de tali delicto?

Et docet probationem sufficientem ad torturam super delicto sufficere etiam, vt declaretur ne quis gaudeat Immunitate Ecclesia. Ex part. 5. tract. 1. Resolut. 9.

§. 1. Prima opinio est affirmatiua, quam tuerentur aliqui Ministri iurisdictionis laicalis, quibus fauet Giurba conf. 50. num. 2. Sed ego profus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docent ferè omnes scribentes post Bullam Gregor. XIV. vt Ambrosius cap. 11. num. 12. Peregrinus cap. 3. num. 2. Italia lib. 1. cap. 6. §. i. num. 79. Bonacina de legib. disp. 3. quest. 7. §. 7. num. 3. Guazzinus defen. 1. cap. 30. num. 7. & Riccius in praxi tom. 2. resolut. 285. num. 3. & collect. 1792. Belletus in disquis. Cler. part. 1. tit. de fauore Cler. reali. §. 4. num. 50. Vulpus in praxi cap. 3. numero. 22. Farinacius conf. 168. num. 21. & in Append. de immunit. Eccles. cap. 22. num. 373. quibus omnibus adde nouissimè ex Societate Iesv doctum Castrum Palatum tom. 2. tract. 1. disp. vn. punct. 13. num. 9. & probatur apertè ex verbis Bullæ Gregorianæ ibi: Curiaque seculari nec tradi, nec consignari possunt, nisi cognitio prius per Episcopum, seu per deputatum ab eo; an ipsi verè crimina superius expressa commiserint. In quibus verbis cognitio istius articuli specialiter demandatur, vt patet, Episcopis, seu alijs ab ipsis deputatis. Sed quando delegatur cognitio alicuius articuli, vel cause, censetur delegata potestas sumendi probationes super illo articulo, & causa; vt habetur in cap. præterea, de offic. delegat. & ibi glossa ver. delegatus. & habetur etiam in l. ubi falsi, & ibi glossa ver. rationes, C. de falsis, ergo Episcopi debent recipere probationes de præterito delicto, & non stare processui exhibito per iudicem secularem, cum agatur de proprio interesse. Deinde confirmatur ex communi doctrina, quæ docet, iudicem Ecclesiasticum non teneri stare processui factò per iudicem secularem, vt

Tom. I. X.

inter Iuristas tenet Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 36. num. 49. Grammaticus conf. 42. num. 1. & alij, quia acta instructorij vnus iudicij in alio non probant; nisi inter easdem, personas & in eisdem causis ex cap. inter dilectos, §. in omnibus, de fide instrument. ergo, &c.

2. Vnde hæc opinio à fortiori procedit, quod fatetur ipse Giurba loco cit. n. 4. quando vrgeret aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice laico, vel dubius esset Episcopus; nam in hoc casu certum est illum non teneri stare processui iudicis laici, sed maiorem diligentiam adhibere, faciendo examina re testes illos diligentius, vel alios pro informatione suæ conscientiæ, vt tradit etiam & testatur de praxi Curia Archiepiscopalis Neapolitanæ Ioan. Anton. Nouarius in summ. Bullarum tit. de immunit. Eccles. num. 81. & idem Castrus Palau ubi supra sic ait: Aduertendum est ab Episcopo an processus formatus à iudice seculari sit formatus antequam reus ad Ecclesiam confugerit, & consequenter antequam de immunitate tractaretur, vel postquam reus ad Ecclesiam confugit, & causa immunitatis tractatur; si formatus est processus antecedenter, est obligatus non sit Episcopus illi stare; ob rationes dictas, ac debet quam breuissimè poterit testes illos apud se examinare, & reum iudici seculari remittere, quia nulla apparet suspicio falsi in supradicto processu. At si postquam reus ad Ecclesiam confugit processus fuerit formatus, tunc suspensionem non leuem habet falsitatis, eo quod in defensionem proprii iuris, & diminutionem Ecclesiasticæ iurisdictionis formatus fuerit. Ita ille, & ante illum Farinacius in append. de immunit. Eccles. cap. 22. num. 375.

3. Nec facit contra nostram sententiam Breue Clement. VII I. directum ad Archiepiscopum Pannonitanum die 6. Febr. 1597. ibi, si tibi summarie, simpliciter, extraiudicialiter; & quantum pro tua conscientia informatione sufficere tibi videbitur; hanc ex his verbis non sequitur, quod Episcopus teneatur stare processui iudicis laici; neque ex dictis verbis (vt obseruat ex multis Doctoribus Nouarius loco cit.) tollitur substantia probationis; longinquitas temporis, eum verba summarie, simpliciter, & de plano non excludant concludentem probationem, sed solum modum probandi.

4. Adde, & hæc, ni fallor, est vera responsio, quod in illo casu plenè constabat de delicto, neque de hoc tunc vllum extabat dubium, sed tantum difficultas erat, an illi gaudebant Ecclesiæ immunitate. Vnde tunc Clemens VII I. ne videretur approbare processum iudicis laici, dispensauit in illo casu particulari, vt Archiepisc. Pannonitanus traderet aliquos reos ex illis Curia seculari, cum tantum summaria, simplici, & extraiudiciali informatione: vnde non sequitur quod ita faciendum sit in omnibus alijs casibus.

5. Notandum est etiam hæc obiter ex dictis contra Gratianum tom. 3. c. 596. num. 23. & paucos alios, quod non sufficiunt coniectura, indicia, & præsumptiones ad declarandum, vt reus commiserit delictum exceptuatum in Bulla, sed opus est Episcopo vt certo constet de tali delicto, & ita ego cum multis Doctoribus docui in 3. part. tract. 1. resolut. 38. quibus nunc addo Riccium collect. 1792. Castillum dectif. 156. num. 5. Barbosam de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 168. Auendanum de exequend. mand. part. 1. c. 22. n. 9. & seq. & Castr. Palau ubi supra tom. 2. tr. 11. punct. 13. n. 8. quia Ecclesia habet ius tutandi omnes delinquentes ad se confugientes nisi in casibus exceptis, ipsique delinquentes ius habent ne ultra illos casus extrahantur, cap. inter alia, cap. fin. de immunit. Eccles.

Supr. hoc in Res. seq. & §. Hæc restrictio, vsque ad §. In hac materia, & §. Rationes, & seq. & §. Circa, & §. per nult. & vlt.

Supr. hoc in Res. præterita, §. vlt. & Res. post præteritam, & infra in Resolut. seq. §. Circa secundum, & quo ad hoc in tom. 5. tr. 10. ex Res. 72. lege doctrinæ §. At hi,

G 2

cap.